Heac verba Servi Dei Ioannis Nadiani principium patefaciunt eius profundae eucharisticae spiritualitatis iuxta eius instituti charisma, centrum a quo omnes eius actiones et cotidianum ministerium irradiabantur et quo sustenta est eius patientia ut Crucis Christi partem acciperet.

Servus Dei die 20 mensis Februarii anno 1885 Sanctae Mariae Novae, in Brittinoriensi dioecesi, natus est. Cum puer esset, miti magnanimaque, prompta sedulique indole eminuit. Sponte naturae ad cantum proclivis erat. Expletis studiis litterarum ludi, Seminarium Caesenatense ingressus est at paucos post annos paupertas eum domum redire coegit. Operam dedit familiari cauponae et, tempore vacuo, libros de rebus religiosis legebat, ad aediculam Virgini Mariae dicatam precatum ibat et parociae intererat ubi christianam doctrinam pueris docebat. Se rem publicam attingere statuit et in paroecia v.d. *Prodezza* Democratiae Christianae Circulo inscriptus est, cuius postea administer factus est. Ad breve tempus in Helvetiam se contulit ubi operas fabriles egit et deinde Romam petivit.

In Urbe ecclesiam Sanctorum Andreae et Claudii Burgundionum frequentare solebat, quae commissa est patribus Congregationis Presbyterorum a Sanctissimo Sacramento. Ibi, coram Hostia consecrata genibus nixus, veram vocationem suam agnovit. Communitate uti frater laicus receptus est. Taurinum migratus, munere sacristae et propagationis Congregationis ephemeridum curatoris est functus. Primo in mundano bello militum cappellanum in acie ut famulus adiuvit. Mense Octobri anno 1931 Pontem Larianicae prope Bergomum pervenit, ubi Superior, videlicet Venerabilis Servus Dei Ludovicus Longari, ei valetudinarium detulit. Aegrotorum ministerio studiose et alacriter se tradidit ac de arte medica tanta didicit ut a medicis existimaretur et comprobaretur.

Huius princeps diei tempus erat cum eucharistica in adoratione se angelorum, qui die noctuque Deum in caelis adorant, operis partem habere percipiebat. Et in minimis cotidianis actionibus voluntatem Dei continenter

quaerebat. Rosarium manibus saepissime tenens, filialem caritatem in Virginem Mariam habuit, quam titulo Nostrae Dominae a Sanctissimo Sacramento invocare solebat. Verum spiritum paenitentiae colebat et humilitate irridebat seipsum et sordidioribus operibus se tradebat. Magnam caritatem in omnes alebat, quam per summum animarum zelum patefaciebat ut omnes noscerent et diligerent Iesum Eucharisticum. Modus eius virtutem exercitandi cunctorum, laicorum vel religiosorum, admirationem excitabat. Cum infirmitas qua erat periturus ei comperta est, fideliter opus suum perrexit donec valetudinario reciperetur. Firma spe in Dominum et voluntati eius commissus, aliquos per menses corporis dolores sustinuit et die 6 mensis Ianuarii anno 1940 pie obiit.

Sanctitatis fama iuxta Curiam ecclesiasticam Bergomensem a die 27 mensis Ianuarii anno 1959 ad diem 4 mensis Ianuarii anno 1961 Processus Ordinarius Informativus celebratus est et Inquisitio Suppletiva a die 31 mensis Martii anno 1987 ad diem 24 mensis Maii anno 1989, quorum iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per decretum diei 17 mensis Octobris anno 1989 est approbata. Positione exarata, iuxta consuetudinem an Servus Dei heroico in gradu christianas virtutes exercuisset disceptatum est. Die 11 mensis Ianuarii anno 2018 Peculiaris Theologorum Consultorum Congressus prospero cum exitu celebratus est. Patres Cardinales et Episcopi, Ordinaria in Sessione diei 21 mensis Maii anno 2019 congregati, Servum Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas heroico modo exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Ioannis Nadiani, Laici Professi Congregationis Sanctissimi Sacramenti, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 11 mensis Iunii a.D. 2019.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

TAUNGGYIENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Felicis Tantardini, Fratris e Pontificio Instituti pro Missionibus Exteris (1898-1991)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Id studeo ut semper et quavis ratione sim felix, atque intentus ad alios felices faciendos».

Servus Dei Felix Tantardini se in suo nomine Baptismi fere ad gaudium vocatum esse agnovit, ob quam rem pacis apostolus factus est in locis omnibus, ubilibet religiosus et missionarius vixit.

Servus Dei die 28 mensis Iunii anno 1898 Introbii, in Archidioecesi Mediolanensi et in provincia Leuci, natus est. A familia in fide christiana instructus, tertium post ludi litterarum annum fabri ferrarii opus incepit. Post Recti Capitis ruinam anno 1917, ad arma conscriptus est et in Primi mundani belli frontis aciem missus. Captivus factus est et de capite inedia quoque dimicavit. Italiam fugitivus redire valuit.

Bello exacto, per missionariarum ephemeridum lecturam ad propagandam fidem vitae consecrandae consilium cepit. Tertio et vicesimo aetatis anno Pontificium Institutum pro Missionibus Exteris est ingressus. Decem post menses uti frater laicus Birmaniam missus est, ubi undeseptuaginta annos continenter permansit praeter quam quod semel tantum paucos per menses in Italiam rediit anno 1956. Missio eius in oppido v.d. *Toungoo* erat, sed saepe ab una missione ad aliam transibat. Uti faber ferrarius, extraordinaria corporis vi dotatus, ecclesias, domos, scholas, monasteria, seminaria, valetudinaria atque orphanotrophia aedificavit. Opera sua quoque praebuit in leprosorum valetudinarium, quorum benevolentiam confestim cepit. Annis Secundi belli mundani in campum Iaponicum ad captivis custodiendis apparatum deductus est.

Servus Dei simplicem ac veram fidem habuit, quae alto precationis sensu alebatur. Cotidie ter Rosarium recitabat ei quam "dilectam meam Dominam" vocare solebat. Sincere humilis in modo vivendi, benignus erga fratres et quoscumque occurrebat, de suis limitationibus et infirmitatibus iocari valebat. Egregiam operam dedit anno 1955 in Eucharisticum Nationalem Congressum apud oppidum v.d. *Rangoon*. Anno 1973 Res Publica Italica insigni v.d. *Stella al Merito del Lavoro* eum decoravit.

Quintum et octogesimum aetatis annum agentem superiores ut opus fabri ferrarii relinqueret monuerunt, unde precationi se magis tradere posset. Consueta sedulitate prompte oboedivit et communionem cum Domino crebriorem fecit. Animam suam Deo reddidit die 23 mensis Martii anno 1991. Exsequiis eius plurimae personae interfuerunt, in quibus multi qui christiani non erant. Ipsi testimonium praebuerunt de fama sanctitatis quae illi humili missionario per totam eius vitam fuerat.

Hac sanctitatis fama perdurante, iuxta Curiam ecclesiasticam Taunggyiensem a die 31 mensis Iulii anno 2001 ad diem 4 mensis Augusti anno 2002 Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 28 mensis Ianuarii anno 2005 est approbata. Positione confecta, consuetas secundum normas disceptatum est an Servus Dei heroico in gradu christianas virtutes exercuisset. Prospero cum exitu, die 22 mensis Maii anno 2018 Peculiaris Theologorum Consultorum Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi in Ordinaria Sessione die 4 mensis Iunii anno 2019 congregati, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Becciu praefui, Servum Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas heroum in modum exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Felicis Tantardini, Fratris e Pontificio Instituto pro Missionibus Exteris, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 11 mensis Iunii a.D. 2019.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

PAPIENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Entii Boschetti, Sacerdotis Dioecesani (1929-1993)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Si vitam non diligis, eam non donas. Si eam non donas, fratribus servire non potes; si non servis, non liberaris. Per Evangelii ac tribulatorum fratrum dilectionem libera te!».

Haec exhortatio, e Servi Dei Entii Boschetti scriptis extracta, clare eius desiderium enuntiat Deo atque humilioribus fratribus serviendi quod cunctam eius sacerdotalem vitam designavit.

Servus Dei die 19 mensis Novembris anno 1929 Costae Sancti Zenonis, in Papiensi dioecesi, natus est. Conventum Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo Modiciae ingressus, ibi septem per annos uti frater permansit. Missionarium se fieri optans, directus est ad illius Ordinis Cuvaiti missionem, ubi rursus sacerdotalem vocationem percepit. Hanc ob rem aerumnosum intimum discrimen inchoavit, quod valetudinem eius imminuit et eum Ordine exire coegit. Florentiam se contulit apud Antonillae Capelli Operam ad vocationes adultas in sacerdotium instruendas. Multis laboribus Romae apud Pontificiam Universitatem Lateranensem theologica studia perfecit et duos per annos Pontificii Seminarii Langobardi hospes fuit.

Die 29 mensis Iunii anno 1962 Papiae presbyter ordinatus est. Coadiutor fuit parochi Cugnoli ad Padum et Papiae in Sanctissimi Salvatoris paroecia. Praecipuum pastoralem sensum erga pauperes, operarios migrantesque ostendit. Fere clam et magna inopia proximitatis iter et communicationis cum aliquibus iuvenibus labore ac exclusione affectis incepit. In oratorii paroecialis sede iuvenibus a familia sua longe distantibus sive opus quaerentibus hospitium praebuit.

Eo quod toxicomania exstabat et ingravescebat, id Servum Dei compulit ut una cum aliis voluntariis locus ordinatus et stabilis compararetur. Sic societas "Parva Opera Sancti Ioseph" orta est, quae anno 1971 aedificium emit vocatum "Domum Matrem", quae prima communitatis sedes facta est. Hospitium quod societas iuvenibus offerebat proximum erat, modus vivendi pauper et Evangelio accommodatus, aeque atque educatio ad praecavendum apta et ad conscientiam fovendam. Illis annis non modo Papiae sed etiam Laudi Nova, Leuci ac Bugellae novae communitates ortae sunt, quae hospitium dabant minoribus in discrimine versantibus, iuvenibus mulieribusque tribulatis atque

hominibus vagis. Servus Dei spiritualis moderator factus est plurimorum iuvenum qui, divinae vocationi respondentes et iuxta Christi pauperis servique vestigia, vitae donum ad egenos ministrandos omnino facere cupiebant. Ita exstitit "Fraternitas vitae Domus Iuvenis", e sacerdotibus, consecratis familiisque composita, partem habens dioecesanae Ecclesiae, sicut Servus Dei cupide volebat. Omnes ab eo agnoscebantur vocati ut testimonium praeberent caritatis Christi in parvulos et exclusos, participationem ut modum vivendi optantes et precatione in actione sustenti. Ardens caritas eius sacerdotalis cordis Servum Dei duxit ad se tradendum pro quibus occurrebat atque intellegentiam eius illuminabat de societatis laboris causis temporis eius.

Ab anno 1987 dolores corporis eum coegerunt ut in valetudinario perdiu maneret. Servus Dei interea etiam institutionem curavit eorum qui post obitum eius communitates moderarentur. Die 15 mensis Februarii anno 1993 mortuus est.

Eius fama sanctitatis iuxta Curiam ecclesiasticam Papiensem a die 15 mensis Februarii anno 2006 ad diem 15 mensis Februarii anno 2008 celebrata est Inquisitio dioecesana, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum approbata est per Decretum diei 7 mensis Maii anno 2010. Confecta Positione, consuetas secundum normas disceptatum est an Servus Dei virtutes christianas heroico in gradu exercuisset. Die 18 mensis Septembris anno 2018 Peculiaris Theologorum Consultorum Congressus, fausto cum exitu, habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione die 21 mensis Maii anno 2019 congregati, Servum Dei heroum in modum virtutes theologales, cardinales iisque adnexas exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Entii Boschetti, Sacerdotis Dioecesani, in casu et ad effectum de quo agitur*.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 11 mensis Iunii a.D. 2019.

ANGELUS CARD. BECCIU
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Franciscus Pp., per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit Praesules:

die 4 Aprilis 2020. — Titulari Episcopali Ecclesiae Putiensi in Byzacena R.D. Franciscum Castro Lalupú, e clero archidioecesis Truxillensis, hactenus Vicarium episcopalem pro negotiis oeconomicis et administrativis et Vicarium paroecialem Ecclesiae Cathedralis vulgo « Santo Toribio de Mogrovejo », quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 9 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Oleastrensi, unitae in persona Episcopi Ecclesiae Nuorensi, Exc.mum P.D. Antonim Mura, Episcopum Nuorensem.

— Titulari Episcopali Ecclesiae Lestronensi R.D. Arjan Dodaj, CdM, e clero Urbis, hactenus Vicarium Generalem archidioecesis Tiranensis-Dyrracenae, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 14 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Portus Pacis R.D. Carolum Petrum Barthelus, e clero archidioecesis Portus Principis, hactenus Alterum a Rectore Seminarii Maioris vulgo nuncupati Notre-Dame d'Haïti.

die 15 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Patersonensi R.D. Coëmgenum Iacobum Sweeney, e clero dioecesis Bruklyniensis, hactenus ibique Vicarium Foraneum decanatus v.d. Brooklyn 8 et Curionem paroeciae Sancti Michaëlis in oppido v.d. Brooklyn eiusdem dioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Ruibarbosensi Exc.mum P.D. Stephanum dos Santos Silva Filho, hactenus Episcopum titularem Feraditanum maior et Auxiliarem archidioecesis Sancti Salvatoris in Brasilia.

— Cathedrali Ecclesiae Ereximensi R.D. Adimirum Antonium Mazali, e clero archidioecesis Cascavellensis, ibique hactenus Ecclesiae Cathedralis Parochum.

die 16 Aprilis 2020. — Titulari Episcopali Ecclesiae Mesarfeltensi R.D. Gregorium Suchodolski, e clero dioecesis Siedlecensis, ibique hactenus Parochum Cathedralis et Decanum, quem deputavit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

die 21 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Alexandrinae R.D. Robertum Villelmum Marshall, e clero dioecesis Memphitanae in Tennesia, ibique hactenus Vicarium Generalem et Curionem paroeciae Ecclesiae Cathedralis Immaculatae Conceptionis in civitate Memphitana.

die 22 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Riviascianensi Exc.mum P.D. Franciscum Antonium Ceballos Escobar, C.SS.R., hactenus Episcopum titularem Zarnensem et Vicarium Apostolicum Portus Carreniensem.

die 25 Aprilis. — Metropolitanae Ecclesiae Bogotensi Exc.mum P.D. Aloisium Iosephum Rueda Aparicio, hactenus Archiepiscopum Metropolitam Popayanensem.

die 30 Aprilis. — Titulari Episcopali Ecclesiae Turrensi Concordiae R.D. Iosephum Natalem Vegezzi, e clero Mediolanensi, hactenus Vicarium Episcopalem territorialem, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Titulari Episcopali Ecclesiae Feraditanae Maior R.D. Ioannem Lucam Raimondi, e clero Mediolanensi, hactenus Vicarium Episcopalem territorialem, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Archiepiscopum Coadiutorem Agrigentinum R.D. Alexandrum Damiano, hactenus Vicarium Generalem dioecesis Drepanensis.

die 1 Maii. — Titulari Episcopali Ecclesiae Beneventensi R.D. Demetrium Leskovar, Nuntium Apostolicum, cum archiepiscopali dignitate.

— Titulari Sedi Suburbicariae Portuensi-Sanctae Rufinae Em.mum ac Rev.mum D.num Beniaminum S.R.E. Card. Stella, Congregationis pro Clericis Praefectum.

ACTA BENEDICTI XVI PP.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Dei Servae Mariae Petrae De Micheli caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

BENEDICTUS PP. XVI.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Ego autem in iustitia videbo faciem tuam, satiabor, cum evigilavero, conspectu tuo» (*Ps* 17, 15).

Venerabilis Dei Servae Mariae Petrae De Micheli vita, religiosae Instituti Filiarum Immaculatae Conceptionis Bonaërensis, sub lumine amoris sacri vultus Domini Nostri Iesu Christi exacta est. Devotio haec in Sacrum Cor pietatem perficit, quemadmodum ipsa die XIV mensis Maii anno MCMXLIII ad Venerabilem Dei Servum Pium Papam XII scripserat, cum approbationem postularet.

Maria Petra De Micheli Mediolani die XI mensis Septembris anno MDCCCXC orta est et apud Baptismatis fontem ei Iosephinam, Francischinam, Ioannam et Mariam nomen indiderunt. Cum patrem amisisset, puella animadvertit se vitam religiosam amplecti velle, sic die XV mensis Octobris anno MCMXIII Congregationem Filiarum Immaculatae Conceptionis est ingressa, nomen sumens sororis Petrae. Multiplicia educationis incepta Congregationis effecerunt ut peritior evaderet in operibus manu procurandis, veluti in fidicula violina et clavicymbalo. Die XXIII mensis Maii anno MCMXV temporaria vota nuncupavit, in Argentina, quo, vita religiosa incohata, missa est. Ibi manebit usque ad annum MCMXXI, cum valetudinis necnon Congregationis componendae causa in Italiam rediit. Hic magni ponderis officia sustinuit. Mediolanensis Domus fuit antistita, tum Romae, cum Domus constitueretur, tum tandem Antistita regionalis. Venerabilis Dei Servae indoles probitate, firmitate et caritate eximie manifestabatur. Ipsa, praeter donum bene moderandi, peculiarem vocationem a Domino recepit: prima enim illa fuit et praecipua quae Sancti Iesu Vultus devotionem condidit et propagavit. In

Sanctum Vultum amor, aeque ac in Sacrum Cor, Dominum Nostrum solari vult propter eius in Hortis olivarum dolores et eodem modo ut eius amoris misericordis offensis subveniatur. Sic enim soror Petra vixit, veluti victima reparatrix. Hanc operam mysticam nemo extra animadvertit, praeter eius confessarios et spiritus moderatorem. De gratiis a Domino receptis silere humiliter solebat, obsequens sic verbis Sancti Ioannis a Cruce, Ecclesiae dctoris, quae sunt: "non debent arcana Regis revelari". Diuturnum post morbum in oppido v.d. Centonara D'Artò (Novariae) die XXVI mensis Iulii anno MCMXLV obiit atque sanctitatis eius fama in Dei popolo statim diffusa est.

Continuata sanctitatis fama, quae per subsequentia decennia sororis Petrae, "sororis sanctae", memoriam apud Dei plebem est comitata, effecit ut Episcopus Novariensis beatificationis canonizationisque Causam die XXVI mensis Maii anno MCMLXIX inciperet. Theologi Consultores in peculiari Congressu die XIII mensis Decembris anno MMV atque Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die XX mensis Novembris anno MMVII coadunati, eius virtutes heroum in modum exercitas sunt suffragati. Nos Ipsi facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum die XVII mensis Decembris anno MMVII congruum Decretum evulgaret. Omnibus iure statutis peractis rebus, Victorii Ianni sanatio a medicis Consultoribus die VIII mensis Maii anno MMVIII est pervestigata, quae ad scientiae rationem incomprehensibilis iudicata est. Sanatio haec Venerabilis Dei Servae intercessioni est adscripta a Consultoribus theologis in Peculiari Congressu die XXX mensis Septembris anno MMVIII et a Patribus Cardinalibus Episcopisque in Sessione Ordinaria die XVII mensis Martii anno MMIX. Nos Ipsi facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum de miraculo Decretum die III mensis Aprilis anno MMIX foras emitteret atque statuimus ut beatificationis ritus die XXX mensis Maii anno MMX Romae celebraretur.

Hodie igitur in Basilica papali Sanctae Mariae Maioris de mandato Nostro Venerabilis Frater Angelus Amato, Archiepiscopus titulo Silensis, Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum Venerabilem Dei Servam Mariam Petram De Micheli referimus:

Nos, vota Fratris Nostri Renati Corti, Episcopi Novariensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Serva Dei Maria Petra

De Micheli, virgo ex Instituto Sororum Filiarum Immaculatae Conceptionis Bonaërensium, quae, Iesu Sacro Vultu inspirata maternaque consolatione Virginis Mariae, vitam suam aerumnasque pro peccatorum salute et sacerdotum sanctificatione obtulit, Beatae nomine in posterum appelletur, eiusque festum die undecima Septembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

In praesens vero facere non possumus quin tantam huius spectabilis mulieris assiduam operam admiremur, quae, difficultates alacriter oppetens et Iesum dolores in villa Gethsemani patientem imitans, vires summa impendit deditione non solum ad peccatorum salutem fovendam verum etiam ad sacerdotum sanctificationem provehendam. Quocirca patrocinium eius ferventer invocemus eiusque christianas curemus imitandas virtutes easque cum christifidelibus nostrae aetatis animi ardore communicandas.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus minime quibuslibet officientibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXX mensis Maii, anno MMX, Pontificatus Nostri sexto.

De mandato Summi Pontificis
THARSICIUS Card. BERTONE
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 117.457

II

Venerabili Servo Dei Ioanni Scheffler Beatorum honores decernuntur.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — « Ibi vacabimus et videbimus, videbimus et amabimus, amabimus et laudabimus. Ecce quod erit in fine sine fine. Nam quis alius noster est finis nisi pervenire ad regnum, cuius nullus est finis? » (S. Augustinus, *De civitate Dei*, XXII,30,5).

Haec novissima sunt verba quae pronuntiavit, parum antequam moreretur, Venerabilis Servus Dei Ioannes Scheffler. Similes cogitationes cunctam per vitam cor et mentem eius illuminaverunt, quapropter vixit ac mortem obiit memoria tenens finem qui singulos Christianos concitat: ad Christum pervenire in Regno caelorum.

Servus Dei Ioannes Scheffler natus est die XXIX mensis Octobris anno MDCCCLXXXVII in loco Kálmánd, dioecesis Satmariensis, qui nunc situs est intra fines Romaniae, quique olim ad Hungariam pertinebat. Congrua institutione suscepta, presbyter ordinatus est die VI mensis Iulii anno MCMX. Eodem anno Romam missus est, ubi anno MCMXII apud Pontificiam Universitatem Gregorianam lauream in iure canonico est consecutus. In dioecesim suam reversus, apud Seminarium Maius munere fungebatur docentis et praefecti. Cappellanus fuit inde in urbe Ungvár; postea catechesim docuit et Archigymnasium Catholicum Satmariense direxit. Interea anno MCMXV Budapestini adeptus est doctoris titulum in theologia. Officia pastoralia cum magisterio consociavit, etenim parochus fuit loci Nagymajtény, deinde praeceptor ac denique etiam moderator spiritus in Seminario Magnovaradiensi. Participavit in Congressibus Eucharisticis Internationalibus Chicagiae anno MCMXVI, Carthagine anno MCMXXX et Dublini anno MCMXXXII. Plurimos exaravit articulos scientificos de iure canonico, in quibus operam dedit studiis de iuridica indole autonomiae Ecclesiae eiusque necessitudinibus cum civitate. Praeparavit Regulas Sororum Misericordiarum Satmariensium atque Statuta dioecesis Satmariensis. Annis MCMXXXVI-MCMXXXVIII operam suam contulit ad dioecesanam synodum apparandam, cuius deinde publici iuris fecit "compendium", nempe *Decreta synodalia*. Pro iuvenibus et catholicis doctis Hungariae scripsit et in patrium sermonem varios libros catechesis convertit. Currente

autumno anni MCMXL nominatus est professor ordinarius iuris canonici apud studiorum universitatem Francisci Iosephi in urbe Kolozsvár. Veluti suam peculiarem vocationem sacerdotalem sensit spiritalem institutionem alumnorum Seminarii et religiosorum. Valde aestimatus fuit uti moderator spiritus in Seminariis Maioribus sive Satmariensi sive Magnovaradinensi Latinorum. Plurimi factus est uti confessarius apud Sorores Misericordes Satmarienses et Sorores Franciscales Magnovaradinenses. Plurima praedicavit spiritalia exercitia ad presbyteros et religiosos, unde verum odorem sanctitatis diffundere fecit. Anno MCMXLII nominatus est Pastor dioecesis Satmariensis atque Administrator Apostolicus Magnovaradinensis Latinorum. Die XVII mensis Maii eiusdem anni Episcopus consecratus est ab Hungariae Primate Em.mo Domino Iustiniano Serédi. A die IX mensis Aprilis anno MCMXLVIII, quo duae dioeceses coniunctae sunt, utriusque constitutus est Ordinarius. Ad vocationes sacerdotales promovendas *Opus vocationum ecclesiasticarum* instituit. Totam per vitam sustinuit onera societatis sui temporis, qua de re compulsus est ad homines oppressos et vexatos tuendos. Navitas eius alacris exstitit, ita ut, altero bello mundiali grassante, gubernium Hungariae, eo intercedente, a coacta custodia Episcopum Maramuresensem Alexandrum Rusu liberaverit. Ipse conabatur iuvare Hebraeos, congregatos in locis Hungariae et Romaniae unde transferri solebant in campos exterminationis. Prae plurimis obstaculis et oppositionibus occupantium valuit quosdam suos presbyteros liberare, qui ad arbitrium comprehensi erant. Bello fere composito, nempe mense Ianuario anni MCMXLV, apud regimen Sovieticum, quod regionem eius tunc occupabat, frustra conatus est a deportatione servare fideles suos ex Germana origine. Nam iam anno MCMXLIII monuerat suos sacerdotes et christifideles de futuris consectariis post bellum, praesertim de periculo ideologiae atheismi et communismi simulque de probabili persecutione contra catholicos incitata.

Die VIII mensis Novembris anno MCMXLV Summus Pontifex Pius XII nominavit eum Episcopum Iaurinensem, in locum Episcopi martyris beati Villelmi Apor. Ipse suam oboedientiam erga Sanctum Patrem declaravit, attamen poposcit, graves ob locales condiciones, ut manere posset in dilecta sua dioecesi. Uti Episcopus sollicitus fuit de cultu Sacratissimi Cordis Iesu diffundendo. Fidem docens, saepe egit de re mariologica, itaque suam in dioecesim festum induxit Immaculati Cordis Mariae atque anno MCMXLVIII Annum Marianum indixit. A sacerdotibus suis postulavit ne in va-

rias factiones politicas se immiscerent, at dolens pati debuit democraticum statum in communistarum dictaturam transformari. Die XIX mensis Iulii anno MCMXLVIII regimen Romaniae unilaterali consilio solvit concordatum cum Sancta Sede, novaque lex civilis de cultu non agnovit exsistentiam dioecesis Satmariensis-Magnovaradinensis Latinorum. Rerum adiuncta ita facta sunt magis graviora, ut regimen arbitrariam suspensionem Episcopi ab eius officio declaraverit.

Itaque Venerabilis Servus Dei coepit vitam ecclesialem variis in paroeciis clandestino disponere, ad persecutionem vitandam. Spiritales tribulationes eius auctae sunt cum insequenti anno Excellentissimus Dominus Szilárd Bogdánffy, Episcopus secrete consecratus, ac serius eius Vicarius Generalis Carolus Pakocs comprehensi sunt. Ex ea re intellexit mentem regiminis communistarum Romaniae in eo esse ut distraheret Ecclesiam Catholicam ab oboedientia erga Sanctam Sedem; ille tamen semper fidelis mansit Summo Pontifici. Die XXIII mensis Maii anno MCML translatus est in coactam custodiam apud conventum franciscalem loci Kőrösbánya. Nam regimen cupiebat ut ipse in Transilvania duceret Ecclesiam huius regionis, sed communione privatam cum Ecclesia Romana. Reiecto hoc proposito, comprehensus est. Primum quidem conductus est in carcerem Ministerii a negotiis internis Bucarestiensibus, deinde translatus est in subterraneum carcerem urbis Jilava. Coram ceteris captivis confessus est pro sacerdote catholico ignominiam non esse pati ac mori in communistarum carcere. Valetudo eius revera cito in peius ruit, ita ut, ob toleratas vexationes, in carcere obiit die VI mensis Decembris anno MCMLII, priusquam ridiculum processum a regimine paratum subiret.

Martyrii fama Venerabilis Servi Dei Ioannis Scheffler constanter crevit eiusque invicta fides minime evanuit. Itaque, post lapsum communistarum regimen, novus Episcopus dioecesis Satmariensis, Excellentissimus Dominus Paulus Reizer, anno MCMXC incohavit inquisitionem dioecesanam de martyrio, quae anno MCMXCVI est completa. Cuius validitatem iuridicam Congregatio de Causis Sanctorum agnovit per Decretum diei XIII mensis Martii anni MCMXCVIII. Favorabilis huiusmodi fuit sententia in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum. Item Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die XX mensis Aprilis anno MMX habita censuerunt eius obitum verum fuisse martyrium. Demum Nos Ipsi Congregationi de Causis Sanctorum facultatem fecimus ut Decretum super martyrio ederet die I

mensis Iulii anno MMX. Inde statuimus ut beatificationis ritus in Romania, Satmariensi in urbe, persolveretur die III mensis Iulii anno MMXI.

Hodie igitur de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, S.D.B., Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabilem Servum Dei Ioannem Scheffler in Beatorum numerum adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Eugenii Schönberger, Episcopi Satmariensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Servus Dei Ioannes Scheffler, episcopus et martyr, Pastor intrepidus et assiduus, qui evangelica virtute maluit vincula pati captivitatis quam prodire Dominum Iesum, in plena permanens fidei communione cum beati Petri Cathedra, Beati nomine in posterum appelletur, eiusque festum die decima septima Maii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Nos quidem pro certo habemus huic intrepido ac tam sollicito Pastori gregis sibi concrediti, qui multas aerumnas alacriter patiens, bonum certamen certavit, cursum consummavit fidemque integram servavit (cfr *2 Tim* 4, 7), ab ipso Summo Pastori Christo Domino evangelicum hoc verbum dictum esse: «Euge, serve bone et fidelis. Super pauca fuisti fidelis; supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui» (*Mt* 25, 21.23). Libenter ideo nunc ipsius populi pastoribus et christifidelibus venerandum, imitandum et invocandum eum proponimus.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die III mensis Iulii, anno MMXI, Pontificatus Nostri septimo.

De mandato Summi Pontificis
THARSICIUS Card. BERTONE
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 168.425

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Il Santo Padre Francesco ha promosso, nel Collegio dei Cardinali:

1 maggio 2020 L'Em.mo Sig. Card. Beniamino Stella, Prefetto della Congregazione per il Clero, assegnandogli il Titolo della Chiesa Suburbicaria di Porto-Santa Rufina, *all'Ordine dei Vescovi.*

Con Breve Apostolico il Santo Padre Francesco ha nominato:

17 aprile 2020 S.E.R. Mons. Francisco Montecillo Padilla, Arcivescovo tit. di Nebbia, finora Nunzio Apostolico in Kuwait, Bahrein, Emirati Arabi Uniti, Qatar, Yemen e Delegato Apostolico nella Penisola Arabica, *Nunzio Apostolico in Guatemala.*

» » » S.E.R. Mons. Novatus Rugambwa, Arcivescovo tit. di Tagaria, Nunzio Apostolico in Nuova Zelanda, Fiji, Palau, Isole Marshall, Kiribati, Nauru, Tonga e Delegato Apostolico nell'Oceano Pacifico, *Nunzio Apostolico in Samoa.*

25 » » S.E.R. Mons. Michael Francis Crotty, Arcivescovo tit. eletto di Lindisfarna, Nunzio Apostolico in Burkina Faso, *Nunzio Apostolico in Niger*.

1 maggio » Il Rev.do Mons. Mitja Leskovar, Consigliere di Nunziatura, elevandolo in pari tempo alla sede titolare di Benevento, con dignità di Arcivescovo, *Nunzio Apostolico in Iraq.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Francesco ha nominato o confermato:

21 gennaio 2020 Gli Em.mi Sig.ri Card.li: Álvaro Leonel Ramazzini Imeri, Vescovo di Huehuetenango (Guatemala), e Juan de la Caridad García Rodríguez, Arcivescovo di San Cristóbal de La Habana (Cuba); l'Ecc.mo Mons. Paolo Cezar Costa, Vescovo di São Carlos (Brasile), *Membri della Pontificia Commissione per l'America Latina «ad quinquennium».*

10 marzo » Gli Ill.mi Sig.ri: Dott. Sjur Bergan, *Head of the Department of Higher Education and History Teaching* presso il Consiglio d'Europa (Norvegia-Francia), e Prof. Gerald M. Cattaro, Professore ed *Executive Director del Center for Catholic School Leadership Administration and Policy*

presso la *Fordham University* di New York (Stati Uniti d'America), *Consultori della Congregazione per l'Educazione Cattolica « ad quinquennium »*.

10 marzo 2020 L'Ill.ma Prof.ssa Niraja Gopal Jayal, Docente presso il Centro per lo Studio del Diritto e delle Politiche di Governo della *Jawaharlal Nehru University* di New Delhi (India), *Membro Ordinario della Pontificia Accademia delle Scienze Sociali.*

17 » » Il Rev.do Sac. Francesco Ibba, *Difensore del Vincolo Sostituto del Tribunale della Rota Romana « in aliud quinquennium »*.

» » » Gli Em.mi Sig.ri Card.li: Charles Maung Bo, Arcivescovo di Yangon, e Daniel Fernando Sturla Berhouet, Arcivescovo di Montevideo, *Membri della Congregazione per gli Istituti di Vita Consacrata e le Società di Vita Apostolica « in aliud quinquennium »*.

24 » » L'Em.mo Sig. Card. Matteo Maria Zuppi, Arcivescovo di Bologna, *Membro dell'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica « ad quinquennium »*.

1 aprile » L'Ill.mo Dott. Timothy James Janz, *Scriptor graecus* e Direttore del Dipartimento degli Stampati della Biblioteca Apostolica Vaticana, *Vice Prefetto della medesima Biblioteca Apostolica Vaticana « ad quinquennium »*.

8 » » Il Rev.do Sac. Augusto Zampini, finora Officiale del Dicastero per il Servizio dello Sviluppo Umano Integrale, *Segretario Aggiunto del medesimo Dicastero per il Servizio dello Sviluppo Umano Integrale « ad quinquennium »*.

» » » Nel corso di una recente Udienza concessa a Sua Eminenza il Card. Luis Francisco Ladaria Ferrer, Prefetto della Congregazione per la Dottrina della Fede, il Santo Padre ha deciso di istituire una nuova Commissione di studio sul diaconato femminile, chiamando a farne parte i seguenti:

- *Presidente:* L'Em.mo Card. Giuseppe Petrocchi, Arcivescovo de L'Aquila.
- *Segretario:* Il Rev.do Denis Dupont-Fauville, Officiale della Congregazione per la Dottrina della Fede.
- *Membri:* Prof.ssa Catherine Brown Tkacz, Lviv (Ucraina); Prof. Dominic Cerrato, Steubenville (USA); Prof. Don Santiago del Cura Elena, Burgos (Spagna); Prof.ssa Caroline Farey, Shrewsbury (Gran Bretagna); Prof.ssa Barbara Hallensleben, Friburgo (Svizzera); Prof. Don Manfred Hauke, Lugano (Svizzera); Prof. James Keating,

Omaha (USA); Prof. Mons. Angelo Lameri, Crema (Italia); Prof.ssa Rosalba Manes, Viterbo (Italia); Prof.ssa Anne-Marie Pelletier, Parigi (Francia).

14 aprile 2020 L'Ecc.mo Mons. Ilson de Jesus Montanari, Arcivescovo tit. di Capocilla, Segretario della Congregazione per i Vescovi, *Vice Camerlengo di Santa Romana Chiesa «ad quinquennium».*

» » » Il Rev.do Mons. Luigi Mistò, *Presidente del Fondo Assistenza Sanitaria «donec aliter provideatur».*

In data 1° aprile 2020 l'Em.mo Signor Cardinale Segretario di Stato ha nominato: *Direttore dell'Autorità di Informazione Finanziaria* per un quinquennio l'Ill.mo Dott. Giuseppe Schlitzer, subentrando al Dott. Tommaso Di Ruzza che il 20 gennaio scorso ha concluso il suo mandato quinquennale; e *Vice Direttore dell'Autorità di Informazione Finanziaria* per un quinquennio l'Ill.mo Dott. Federico Antellini Russo, finora Responsabile dell'Ufficio per la vigilanza e la documentazione.

NECROLOGIO

6	aprile	2020	Mons. Stephen M. Sulyk, Arcivescovo em. di Philadelphia degli Ucraini (*Stati Uniti d'America*).
9	»	»	Mons. Clément-Joseph Hannouche, Vescovo del Cairo dei Siri (*Egitto*).
10	»	»	Mons. Nicholas Marcus Fernando, Arcivescovo em. di Colombo (*Sri Lanka*).
11	»	»	Mons. Mariano De Nicolò, Vescovo em. di Rimini e Vescovo em. di San Marino-Montefeltro (*Italia*).
»	»	»	Mons. Alojzij Uran, Arcivescovo em. di Lubiana (*Slovenia*).
12	»	»	Mons. Camillo Ballin, M.C.C.J., Vescovo tit. di Arna, Vicario Apostolico di Arabia del Nord (*Kuwait*).
14	»	»	Mons. Miguel Ángel D'Annibale, Vescovo di San Martín (*Argentina*).
»	»	»	Mons. Aldo di Cillo Pagotto, S.S.S., Arcivescovo em. di Paraíba (*Brasile*).
15	»	»	Mons. Aldo Mongiano, I.M.C., Vescovo em. di Roraima (*Brasile*).
»	»	»	Mons. Gérard Mulumba Kalemba, Vescovo em. di Mweka (*Rep. Dem. del Congo*).
»	»	»	Mons. Dorick McGowan Wright, Vescovo em. di Belize City-Belmopan (*Belize*).
23	»	»	Mons. Patrick Leo McCartie, Vescovo em. di Northampton (*Gran Bretagna*).
26	»	»	Mons. Emilio Simeón Allué, S.D.B., Vescovo tit. di Croe, già Ausiliare di Boston (*Stati Uniti d'America*).
28	»	»	Mons. Silas Silvius Njiru, Vescovo em. di Meru (*Kenya*).
29	»	»	Mons. Philippe Jean Louis Breton, Vescovo em. di Aire et Dax (*Francia*).
30	»	»	Mons. Manuel Vieira Pinto, Arcivescovo em. di Nampula (*Mozambico*).
1	maggio	»	Mons. Mathew Anikuzhikattil, Vescovo em. di Idukki dei Siro-Malabaresi (*India*).